

## DE IMPEDIMENTO VOTI.

## DISTINCTIONIS TRIGESIMÆ-OCTAVÆ SYNOPSIS.

*Quid votum, quotuplexve fiet, quandove resistat,  
Quo minus uxorem ducere ritè queas.*

Sic incipit: *Nunc de voto inspiciamus.*

Sic terminat: *Sentiendum est.*

1. **C**onnectitur hæc distinctio cum superiori. In illâ egit Magister de ordinis impedimento; sed in præsentî determinat de impedimento voti: ergo rectum inter se ordinem servant.
2. Consequentia probatur: Prius est agere de impedimentis provenientibus ab extrinseco, sive ex Ecclesiæ ordinatione, quàm de iis, quæ proveniunt ab intrinseco, sive ex obligatione nostrâ, eò quòd Ecclesiæ decisionis sint operationum nostrarum scopus fixus, indexque certus; sed Magister in superiori distinctione egit de ordinis impedimento, quod ab extrinseco, & ex Ecclesiasticâ ordinatione solitariè venit, & in præsentî determinat de impedimento voti, quod reverà ab intrinseco, & ex nostrâ obligatione libera procedit: ergo aptè præfata consonat distinctionis.
3. Dividitur præsens distinctio in tres præcipuas partes. In quarum primâ Magister distinguit, & expendit votum in commune, & singulare. In secundâ verò statuit, quodnam ex votis Matrimonium impediat. In tertiâ autem, & ultimâ parte declarat, quomodò vir, longè à feminâ propter captivitatem sequestratus, eam repetere possit, rediens.
4. PRO PRIMÆ igitur partis clarâ indagine, hæc prima producit thesis: *Frequens usitataque voti communis, & singularis explanatio est undequaque recta.* Hanc deducimus ex Magistro conclusionem, dum voti communis, & singularis ab ipso exhibitam explicationem sedulo meditatur. Votum commune est illud, quod omnes accipiunt, cum spondent diabolo, & pompis ejus renunciare; singulare verò est, dum quis promittit virginitatem servare.

Ve-

Verùm, ut præfata Magistri explanationem debite enucleare possimus, præmittimus primò quid sit votum in communi. Votum enim est: Quadam spontaneæ promissionis testificatio, quæ Deo, & de iis quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Hinc vota fatua irritanda sunt, nec vota reputanda, quæ cum ad Deum non spectent, non obligant, & dissolvi possunt.

6. Quòd ergò votum, juxta hanc Magistri definitionem, sit secundum substantiam promissio, sic primò suaderi poterat: Sicut ducere uxorem est liberum viro; sic perficere votum est opus voluntarium, sed Matrimonium validè non contrahitur, etiam si quis promittat exterius, nisi intendat se obligare, sive consentiat interius: ergo nec votum validè perficitur, etiam si quis promittat exterius, nisi intendat se obligare, sive spontaneè promittat interius; atque adeò substantia voti est quadam testificatio spontaneæ promissionis.

7. Secundò: Votum, ex apposita definitione, est quadam obligatio spontanea; sed nullus obligatione spontaneâ astringitur, nisi velit obligari interius: ergo cum nullus exoptet obligari verbo, nisi qui intendit se obligare interius, promissio voluntaria erit de essentia voti.

8. Tertiò: Voto se obstringit homo ad id, ad quod prius non obligabatur; sed ad nihil novum se obstringit homo, nisi ob beneficium, aut peccatum, sive promissionem: ergo cum in voto non obstringatur homo beneficio, aut peccato, debet promissione obligari; sed ex eò quòd vi voti promissione obligetur homo, promissio est de substantia voti, ut ex se claret: ergo.

9. Sed oppones primò: Dum quis ad sacros promovetur ordines, intenditque ordines suscipere, & nullo modo ad continentiam obligari, reverà obligatur, ac si intenderet obligari: ergo etsi aliquis non intendat obligari dum castitatem promittit, hand dubiè obligatur, ac si intenderet obligari: ergo quia intentio obligandi, sive spontanea promissio non est de substantia voti.

10. Respondetur concessò Antecedenti, negando Consequentiam. Quia, qui intendit ordines suscipere sacros, ex consequenti intendit ad continentiam obligari, eò quòd ordini sacro annexum sit continentia votum. Unde implicat, quòd quis intendat suscipere ordines sacros, & simul non intendat ad continentiam obligari. Caterùm, si dum quis promittit continentiam, non intendat obligari, certè nullum est votum defectu intentionis, sive promissionis obligandi, quæ de substantia voti censetur.

11. Oppones secundò: Dum quis juramento promittit, non intendens



dens se obligare ad id, quod verba significant, nihilominus ab omnibus arbitratur obligatus, ac si intenderet obligari: ergo etsi quis voveat, sive absque ulla se obligandi intentione promittat, verè ab omnibus ut obligatus habetur: igitur de substantia voti non erit promissio libera, sive intrinseca obligandi intentio.

12. Respondetur distinguendo Antecedens instantia juxta geminum forum, judiciale scilicet, sive externum, & pœnitentiale, sive internum. In foro enim judiciali, sive externo, ubi verba accipiuntur secundum communem ac sanum sensum, sive ut significant, manet obligatus, etsi non intendat obligari; quia fraus nulli patrocinari debet: In foro verò pœnitentiali, sive interno, ubi judicium attenditur secundum veritatem; ex promissione illa facta non oritur obligatio, quia non verè, sed cum dolo promissit; quemadmodum Matrimonium contractum per verba externa sine ullo interno consensu non est in re, sive in foro pœnitentiali Matrimonium, sed duntaxat in foro externo. Id ipsum dicimus de voto, & quocunque alio, quod à nostrà liberà intentione, sive promissione dependet.

13. Votum igitur in commune, & singulare dividitur, ut nuper diximus. Votum commune cunctos transcendit Christianos, estque illud, quod in baptismo perficimus omnes de renunciano diabolo, & pompis ejus. Singulare autem est illud, quod personam particularem, & determinatam astringit, ut dum quis spontè promittit virginitatem servare, continentiam, & alia hujusmodi.

14. Hoc etenim singulare votum aliud est solemne, sive factum in facie, vel conspectu Ecclesiæ; & aliud simplex, sive privatum, factum in abscondito, & absque solemnitate Ecclesiæ. Votum solemne etiam est duplex, unum quod fit in Religione approbatà; & aliud in ordinis sacri susceptione. Undè, si simplex, sive privatum votum violatur, peccatum mortale est; solemne verò violare, non solum peccatum mortale, verum & scandalum haud dubie censetur.

15. His prælibatis de rectà voti divisione, explanationeque illius, sic summam perficimus probationem: Illa divisio, explanatioque arbitratur undequaque recta, quæ universali plausu ab omnibus excipitur; sed præfata voti divisio, ejusque explanatio universali plausu ab omnibus excipitur: ergo divisio voti in commune, & singulare, hocque in simplex, & solemne est undequaque recta.

16. Oppones primò contra appositam, decantatamque Magistri doctrinam: qui voto simplici, sive privato continentia astringitur, potest licite contrahere Matrimonium: ergo violatio voti simplicis conti-

nen.

nentia non est peccatum. Antecedens probatur: Etsi Beatissima Virgo Maria, ejusque Castissimus Sponsus Joseph verum continentia emiserint votum; tamen validum contraxerunt Matrimonium: ergo licite potest contrahere Matrimonium, qui simplici continentia astringitur voto; proindeque ejus violatio non est mortale peccatum.

17. Respondetur negando consequentiam. Quia violatio voti privati, sive simplicis est peccatum mortale; eò quod unusquisque teneatur implere sponsonem Deo factam strictius, quam homini factam. Qui enim contrahit Matrimonium, aut intendit contrahere consentiendo in conjugalem societatem, aut in copulam carnalem, sive propter libidinem, sive propter generationem prolis.

18. Si intendat contrahere consentiendo præcisè in societatem conjugalem, nulla fit voti simplicis violatio, nec mortale peccatum; quemadmodum accidit in castissimo conjugio Virginis Matris cum Divo Josepho; in quo sensu reverà non alloquitur Magister: At, si intendat contrahere consentiendo in copulam carnalem, sive libidinis, sive generationis causà, fit violatio voti, estque mortale peccatum, ut ex se claret: Et quia omnes fere contrahentes, sic contrahere consueverunt, dixit Magister, quod per matrimonii contractionem violatur votum, & ejus violatio est peccatum mortale.

19. Oppones secundo: Violare votum solemne unum tantummodò est peccatum; sed si violare votum solemne esset peccatum, simulque scandalum, non unum, sed duo essent peccata; igitur violare votum solemne non est peccatum, & simul scandalum. Minor probatur: Qui frangit votum, peccat in Deum; & qui scandalizat, peccat in proximum; sed peccare in Deum, simulque in proximum, non est unum tantum, sed duplex peccatum: ergo si violare votum solemne esset peccatum, & simul scandalum, non unum, sed duo essent peccata: ergo cum hoc repugnet, violare votum solemne non erit peccatum, & simulque scandalum.

20. Respondetur cum Seraphico Doctore negando Minorem. Ad probationem nego iterum Minorem; & Consequentiam. Nam scandalum unitum peccato non constituit novum peccatum quantum ad transgressionem, nec quantum ad pœnitentiam, sed novam quandam addit circumstantiam aggravantem, ut fornicatio publica ultra privatam; tametsi duplex possit esse quantum ad accusationem.

21. Undè idem potest esse peccatum in Deum, & in proximum; sed in Deum principaliter, & in proximum ratione circumstantia adjuncta, quod reverà diversa non constituit peccata, eò quod peccatum

in.



ingeminetur ratione actus, circa quem versatur, & non ratione ejus, in quo est; quemadmodum si quis actione una offenderet plures homines, non gemino, sed unico peccaret peccato. Et hæc de primâ parte sufficiant.

22. PRO SECUNDÆ verò partis ostensione, hæc secunda adducitur thesis: *Votum simplex continentia non dirimit, sed impedit Matrimonium; solemne verò impedit, & dirimit.* Quod expresse colligitur ex Magistro in textus litterâ dicente, quòd qui privatum continentia votum emittunt, Matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant; si verò contrahant, separari non possunt, quia probari non valet, quod occultè factum est. Qui autem solemniter promittunt; nullatenus in conjugio manere queunt: ergo quia votum simplex castitatis solum impedit, & non dirimit; solemne verò utrumque præstat.

23. Prima conclusionis pars sic primò probatur ex Magistro: Matrimonii contractio ante votum simplex castitatis emissum erat licita; sed post præfati voti emissionem redditur illicita: ergo dum quis voto simplici castitatis astrictus contrahit Matrimonium, illicitè contrahit; sed qui illicitè contrahit Matrimonium, peccat mortaliter, etsi factum teneat: ergo votum simplex castitatis impedit Matrimonium contrahendum, non verò contractum dirimit.

24. Secundo ex eodem Magistro suadetur: Quia continentia voto simplici astricti contrahunt Matrimonium, non debent separari; cum probari non possit, quod occultè factum est; sed si continentia simplex votum, non solum impediret, verum & dirimeret Matrimonium; separari deberent: ergo quia votum simplex continentia solum impedit Matrimonium contrahendum, & non dirimit contractum.

25. Sed dices: Defectus probationis nec validitatem adjicit Matrimonio, nec illam aufert: ergo in congruè discursat Magister, dum ait, quod voto simplici continentia astrictus contrahens Matrimonium, non debet separari, cum probari non possit, quod occultè factum est; alias defectus probationis, & testium robur adjiceret Matrimonio.

26. Respondetur negando Consequentiam. Nam Magister in litterâ non assignat probationis defectum tanquam rationem sufficientem, ex qua inferatur Matrimonii validitas; sed uti quandam congruentiam ipsi validitati adjunctam; eo quod non sint testes, per quos tale Matrimonium possit dirimi; imò juxta jus novum, ut infra dicemus, vinculum voti simplicis non abducit Matrimonii obligationem.

27. Tertio etiam suadetur: Si votum castitatis simplex dirimeret

Ma-

Matrimonium, posset quis malitiosè pro suo libito illud dissolvere, & ad alias transire nuptias; sed hoc omninò dissonum rationi apparet: ergo votum simplex castitatis non dirimit, sed solum impedit Matrimonium. Major probatur: Votum simplex castitatis cum occultè emittatur, posset quis simulare se vovisse: ergo & etiam posset malitiosè pro suo arbitrio Matrimonium dissolvere, ad aliasque transire nuptias, si votum simplex castitatis dirimeret Matrimonium; sed illud prorsus repugnat: ergo & quòd dirimat Matrimonium.

28. Quartò demùm ex Tridentini doctrinâ Sess. 24. cap. 9. sic præmuniri valet assertum: Qui voto simplici castitatem promisit, non se posuit in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum Matrimonii; scilicet qui solemniter spondit; sed qui per votum simplex castitatis non se ponit in potestate Ecclesiæ, quantum ad oppositum Matrimonii, quanvis illud simpliciter emittat, non dirimit Matrimonium contractum, etsi contrahendum impediatur: ergo votum simplex continentia solum impedit Matrimonium.

29. Huic nostræ subjungimus decisioni, quòd etsi votum simplex castitatis emissum à Patribus Societatis Jesu dirimat Matrimonium ex novâ ac peculiari Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Ascendente Domino, &c.* eò quòd inhabiles reddat ad Matrimonium validè contrahendum, eos omnes, qui in Societate Jesuiticâ tria vota simplicia emisissent, paupertatis scilicet, obedientia, & castitatis; nihilominus non officit doctrinæ Magistri, aliorumque Doctorum, cum solum ex novo ac peculiari jure procedat, necnon pro determinatis privasque personis sit datum diploma.

30. Sed oppones: Contrahens Matrimonium cum voto simplici castitatis facit contra jus divinum, & naturale; sed qui dum contrahens Matrimonium facit contra jus divinum, & naturale, non solum impedit Matrimonium contrahendum, verum & contractum dirimit: ergo. Major probatur: Primò, facit contra jus divinum, juxta illud Psalm. 75. *Vovete, & reddite Domino, &c.* Secundo, similiter facit contra jus naturale; quia natura dicitur debere servari promissum: igitur facit contra jus naturale, & divinum qui Matrimonium contrahit cum voto simplicis continentia; illudque dirimit.

31. Respondetur negando Minorem. Ad probationem nego Consequentiam. Quia, etsi continentia voto simplici astrictus, faciat contra jus divinum, & naturale dum Matrimonium contrahit; non exinde inferitur, quòd dirimat Matrimonium; cum per tale votum non se ponat vovens in potestate Ecclesiæ, sed solum in manu Dei; & ideo

Tom. V.

M

Ec-



Ecclesia reliquit eum iudicio divino, & non suo. Cæterum; contrahens non obtentâ dispensatione mortaliter peccat, & toties, quoties petit debitum; tenetur tamen reddere conjugii petenti.

32. Secundam conclusionis partem, nempe, quod votum solemne castitatis non solum impediât Matrimonium contrahendum, verum & contractum dirimat, probat primò Magister ex primò Pauli ad Timoth. cap. 5. dicente: *Adolescentiores autem viduas debita: Cum enim luxuriata fuerint, in Christo nubere volunt; habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Sed viduæ, quæ in Christo nuptæ sunt per votum publicum, & solemne, subjiuntur iudicio damnationis per Ecclesiam, non permittenti eas nubere, si nubere intendant: ergo multò melius iudicio damnationis per Ecclesiam subjiuntur, si reipsa nupserint: ergo quia votum solemne castitatis reverâ Matrimonium dirimit.

33. Secundò probat Magister aliis testimoniis in textûs litterâ appositis, & præsertim ex Gregorio ad Bonifacium, & habetur dist. 27. q. 1. cap. *Viduas à proposito.* Et Innocentio Papâ Primo epist. 2. dist. 27. q. 1. cap. *Hæc verò.* Ubi idem iudicium fert de virginibus, etiam si velata non sint, dummodo voto solemni castitatis astringantur: ergo tam viduæ, quam virginès voto continentia astrictæ, sive velatæ fuerint, sive non, nullatenus conjugium fortiri possunt; proindeque votum solemne castitatis Matrimonium dirimit.

34. Sed dices: Velum est signum professionis, sicut habitus Religiosi viri; sed ante habitus susceptionem non videtur solemnizari votum: ergo nec ante veli susceptionem: igitur virginès non velatæ, etsi contrahant, non diriment Matrimonium.

35. Respondetur negando Consequentiam. Quia votum tripliciter solemnizari valet, scilicet, aut ordinis sacri susceptione, aut religiosâ professione, aut propriâ testificatione factâ coram publicâ personâ habente jus, & licet tales virginès non sint velatæ, sive susceperint velum, dumtamen in manu publicæ personæ voto continentia astringantur, non possunt contrahere nec de jure, nec de facto, eò quod præfatum votum dirimat Matrimonium. In hoc etenim sensu est exponendus Magister, dum de non velatis virginibus loquitur.

36. Tertio, id ipsum suadet quodam perdifficili juris canonici textu ex Innocentio Papâ nupter adducto, cap. *Quæ Christo;* &c. dicente: *Quæ Christo spiritualiter nubunt, si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad penitentiam, nisi hi, quibus se junxerant de mundo recesserint.* Sed iis gravissimis pœnis non subjacerent, qui post solemne

continentiæ votum contrahunt Matrimonium, sitale votum non dirimeret illud: ergo. Genuinam hujus textûs interpretationem poteris lustrare apud ipsum Magistrum, & omnes ejus Expositores.

37. Unde ex hæcenus appositis pro solemni continentia voto, dicimus, votum solemne in Religione approbatâ emissum impedire Matrimonium contrahendum, simulque contractum dirimere jure ecclesiastico; ut expressè constat ex pluribus ejusdem pontificii juris textibus; & præsertim ex cap. *Consoluit.* Et cap. *Insinuante.* Et cap. *unico de voto in 6.* & aliis.

38. Similiter, votum solemne castitatis sacris ordinibus annexum impedit, & dirimit Matrimonium, non jure divino, aut naturali, sed solum ecclesiastico. Primò, quia Ecclesia dispensat in illo, ut fert potior, sanior, & politior Theologorum pars. Secundo, quia incipit esse dirimens in quarto, aut quinto sæculo, ut innuit Concilium Carthaginense 4. sub Anastasio Primo celebratum anno Domini 398. ergo non jure divino, aut naturali, sed solum ecclesiastico dirimit.

39. Ulterius Magister pro hujus secundæ distinctionis partis indagine, aliqua summâtim de impedimento ligaminis profert. Primò, quod vivente utroque conjugè, nullus potest ad alias nuptias transire, alioquin adulterium committeret, quod est gravissimum peccatum.

40. Secundò, malitiæ inæqualitatem peccatorum circa materiam luxuriæ refert. Inter luxuriantes, minimam habent simplex fornicatio malitiam etsi mortalem; super illam gravius est adulterium; sed multò gravius peccatum incestus; & in specie incestus gravius cum matre, quam cum aliâ consanguineâ commissum; sed omnium gravissimum peccatum contra naturam, ut si vir præposterè uxore utatur.

41. Tertio, hanc duplici testimonio premunit Magister doctrinam. Primum suppeditat Clemens Papa in epist. 1. ad Jacobum, dist. 33. q. 6. cap. *Quid inest,* his verbis: *Gravissime ergo peccant adulteri, graviter fornicarii, sed cunctis his gravius incestuosi, quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes.* Ergo satis expressè suam roborat doctrinam Magister.

42. Secundum desumpsit Magister ex Augustino lib. de bono conjug. cap. 8. & habetur dist. 33. q. 7. cap. *Adulterii malum,* sic venustè affatur: *Adulterii malum vincit fornicationem, vincitur ab incestu. Pejus enim est cum marce, quam cum aliena uxore dormire; sed horum omnium pessimum est, quod contra naturam fit.* Ergo inæqualitas malitiæ circa luxuriæ materiam aptissimè expenditur à Magistro. Et hæc de secundâ distinctionis parte sufficiant.